

N<sup>o</sup> 48


BUPLUM 7138

POEMATION  
D/ E  
ORTU,  
ET  
PROGRESSU  
INCL. MILITIAE LIMITANAEAE  
VALACHICAE  
IN  
M. PRINCIPATU  
TRANSILVANIAE.

*auctore Comite Silvio Tamisie.*




CLAUDIOPOLI,



TYRIS Academicis Soc. Jesu, Anno M. DCC. LXVIII.

BCU 363/D



SECUNDA LEGIO  
VALACHICA  
S U B  
C A R O L O  
B A R O N E  
E N Z E N B E R G I O.

Undique præruptis, qua Dacia vergit ad arcton,  
Rupibus, & densis adoperti culmina silvis  
Aërium attollunt longo caput ordine montes;  
Æmula quos inter, velut insuperabile vallum,

A 2

Im-



Imperia, & metam prudens natura locavit.  
Desilit ingenti summa de rupe fragore,  
Spumantesque ima secum sub valle volutat  
Rivus aquas tenuis, nondum formatus in amnem,  
Samusitum appellant. It pauper, saxaque lambens  
Exiguos latices cupido passim aggerit alveo.  
Ast ubi præcipites saltus, & in hospita linquens  
Tecta, metalliferas Radnæ decurrit ad oras,  
Jam robur capit usque novum, cornuque minaci  
Torvus, & indomitis fertur rapidissimus undis.  
Quis mala, quis clades, aut exitialia damna  
Agrorum, pecorumque, atque insperata domorum  
Excidia, ac strages, demersaque copora narret?  
Cum sua montanis confundit flumina nimbis,  
Aggeribus tunc nulla fides; immanis aquarum

Illu-



Illuvies, medioque frementia gurgite saxa,  
Avulſæque alto montium de vertice quercus  
Cuncta trahunt secum, & campos populantur apertos.  
Arcta quater ſenos Radnæ de nomine dicta  
Vallis alit pagos, quos magna parte furentis  
Samusii velox hinc praeterlabitur unda,  
Hinc clivi curvis reliquos anfractibus abdunt.  
Nec Cereri grata est Regio, nec amica Lyæos:  
Non equiti opportuna fatis, minus apta quadrigis:  
Injucunda oculis, tectisque referta scatebris.  
Montibus inde altis, hinc ſævo occlusus ab amne,  
Ullo qui nunquam passus fe ponte domari,  
Sæpe modo caret infelix alitnenta parandia:  
Incola, &, hostili velut obſidiohe, tenetur.

Has igitur prisca geniti de stirpe Quiritum

A 3 Ro-



Romulidæ terras habitant. Heu, quanta nepotum  
Disparitas! quam vilescit venerabile nomen!  
Namque in maturam imperio vergente ruinam,  
E Scythicis hominum numerosum huc appulit oris  
Agmen, & adversæ demum discrimine sortis  
Romani servile jugum subiere coloni;  
Jamque greges Scythicos romanus pastor agebat,  
Hunnicaque ausonii vectabant plausta juvenci,  
Longaque cum lingua vitiârant tempora mores.  
Ast fractæ, fatis tandem ad meliora reversis,  
Incipiunt vires hominum revalescere, & ingens  
Spes rutilat, rerumque novus prope nascitur ordo;  
Ac jam lux aderat, curâ quâ providâ Adulphi (a)  
Fæcundata uno ter binas Dacia Mater

Eni-

(a) Adulphus Bare a Buccovv.



Enixa est partu proles. Informia primum ,  
Nulloque inter se connexa ligamine membra;  
Artificis sed enim virtute , atque arte magistra  
Egregii , in pulchram mox instaurata figuram :  
Nam quotquot fuerant (dictu mirabile !) massæ  
Ante rudes , totidem armatas retulere phalanges ,  
Finitimo matrem quæ tutarentur ab hoste.  
Sic , ubi deformes ulla sine imagine fætus  
Edidit , hos multo linguae solet ursa labore  
In naturales effingere sedula vultus .  
Ergo immortales ævum ut reddantur in omne ,  
Inventæ Altrices teneris Legionibus aptæ ,  
Tresque satæ Hunnorum claro de sanguine Genti ,  
Romulidum tres sorte datæ , quarum altera ripis  
Ad sita Samusi miro jam robore crescit.

Pan-



Pandite nunc Helicona Deæ! vestroque faventes  
Magnardim Vati causas ostendite rerum:  
Desidiam ut veterem exuerint, moresque feroceſ  
Samusidæ; ut facies mutata ſit ipsa locorum,  
Utque Ceres diro regnet bene juncta Gradio,  
Quartus inexpletis cum vix eat orbibus annus.  
Tantane ſolerti confeſſa potentia dextræ?  
Principio novitate rei, & fulgore coruſco  
Armorum perculti animi expavere, nec ultra  
Spem ſuperelle rati, & vana formidine cæci  
Triftia degeneres agitabant mente Quirites.  
Arva inculta jacent, lætiffima prata putrefiunt;  
Nec pecori accedit pastor, nec messor ariftis,  
Nullaque fit, clauſis, de more frequentia Templis.  
Quin etiam insana jam ſeditione frementes

Ar-

Arma invisa manu, exosique insignia Martis? .  
Projiciunt, pedibusque terunt, torvoque minantur  
Intuitu; iat quorum major dementia menti,  
Armentis, natisque, ac quod fuga nocte silenti  
Maturata sinit, nemoroso in monte receptis  
Odrysii. Subeunt contermina regna tyranni.  
Quo ruitis miseri? quas stulti quæritis, aut quas,  
Multo passuri graviora, relinquitis ædes?  
Arina lucrum, non damna ferunt: ne munera sortis  
Temnite, propensis neu vos opponite fatis,  
Sed veluti nimio cum febris aduritur æstu,  
Atque ignem tota jam mente recepit edacem,  
Delirans furit ægrotus, medicamque repellit  
Indocilis dextram, & tantum nocitura requirit:  
Haud aliter stimulis furialis Erinnyos acti

B

Samu-

¶ ¶ ¶

Samusidæ in præceps, & deteriora trahuntur  
Confilia. His promptam, plebis miserata cadentis  
Ærumnis Regalis opem THERESIA misit,  
Et i CAROLUM afflictis jussit succurrere rebus.  
Olli delatus celeres honor addidit alas;  
Haud mora, jussa facit, patriasque Tyroldis ora  
Deserit, impavidusque capit Legionis habenas.  
CAROLUS, exactio belli feralis agotie,  
Hoc peperit sibi iure decus; namque abdita primum  
Summorum Decretæ Ducum, & molimina magna  
Solers jussorum iudiciorum fidusque minister  
Adjutrice mari studuit pretendere; at augustinus  
Nobiliore gradu, alipicem, nactusque cohortem,  
Quæ virgil hostiles eniploret cominus aulus;  
Præ validum ingenium, virtutisque omnia rara.

Sæc.

B

Pro-

XXXIIII XXXVII XXXVIII  
Prodidit : hinc Procerum, atque Ducum studiosa

Hinc honor, hinc veteris condebita præmia facti.

Ilicet est CAROLI prima, atque potissima cura  
Militiae vigili scrutari mente Magistros,  
Et quid quisque queat, quis sit cùjusque gerendi,  
Censendique modus, prudenti pendere lance.  
Utque hominum non unus, amor, non finis & unus;  
Cautior inque malum ruit hic, generosior ille,  
Sic statuit quaque appositos statione Ministros,  
Qui placido mutans firment solamine vulgus,  
Utilia inducant, atque officientia pellant.  
Hæc ferme admonitu repetit præcepta diurno;  
Hunc docet, hunc acuit, ciet hunc, hunc cornipit, atque  
Multiplici metam sic tramite tendit ad unam.



Obstupuere, novas mirantes undique formas  
Romulidæ, atque ingens animo fiducia crevit.  
Jamque situ, & scabrà rosus rubigine vomer  
Crebrior invertit terram, & splendescit ab usu,  
Multiplicatque pecus, studio meliore refectum.  
Mox ignotus adhuc quæstùs amor, atque laboris  
Vividus assurgit, stimulisque potentibus urgens  
Torporem fugat ingenitum, atque in fænore gaudet.  
Pauperie hinc durâ, hinc turpi terrore soluti  
Connubiis Juvenes indulgent, armaque, nuper  
Matribus, innuptis, & detestata puellis,  
Haud, hilari tractare manu, nova nupta reculat,  
Pulchrior, & sponsus castrensi in veste videtur.  
Quin & militiæ capti genialis amore  
Conveniunt pueri, & fictis lœtantur in armis,

-dō

s. B.

Blæ-



Blaesaque non patriæ mutilantes verba loquelæ,

Imbelli studia exercent Mayortia dextrâ,

Densique incedunt, & ludicra prælia miscent.

At Juvenes, quorum vegetæ stant corpore vires,

Veracis gaudent leges cognoscere Martis,

Atque operi incumbunt, artesque imitantur Avorum.

Bissenis etenim Legio distincta catervis,

Quarum quæque tribus, de more docenda, Magistris

Tradita, solerti vigilis virtute Tribuni

Militis omnigeno veteris jam munere præstat.

Pulchra videri oculis, triplici cum se ordine sistens

Late acies campos operit numerosa patentes.

Tunc ferrugineus, niveusque resulget amictus,

Quem rubeum frustatim interfecat ornamentum,

Plumeaque hungarico candescit crista galero;



Atque repercuſſo, lădentem lumina lucem  
Ignivomi dant sole tubi; latus enſe recurvo  
Cingitur, immoto erecti ſtant pectore vultus.  
Nec mora: ſe partes convertens miles in omnes,  
Multiplices doctâ discriminat impiger uſus  
Armorum dextrâ, ſimulati exordia belli.  
At cupiens hōstem propiore laceſſere pugnâ  
Agglomerat ſe ſe, densumque coarctat in agmen,  
Triftiaque alternis minitatur damna maniplis.  
Vox tonat irritans: en præpete dextera niſu  
Arripiens ante ora tubum, parat ignibus amplam  
Mortiferis aperire viam, mox ocyor euro  
Inclinans, ſubitas ſulphur fatale favillas  
Concipit, horrifono cælum boat omne fragore.  
Aſt, ubi non dubiis patuit victoria ſignis,

Ho-



Hostilesque fugæ jam terga dedere cohortes,  
Extemplo victrix lento titubantia passu  
Agmina persequitur Legio , alternisque Manipli  
Prosiliunt vicibus, probro saque vulnera mittunt.  
Si tamen hostiles adversi crimine Martis ,  
Aspectus vitare juvet, vestigia retro  
Improperata refert, faciemque animosa retorquens  
Fulminat, & pœnas ingenti fænore sumit.  
Talia venturæ ficta sub imagine laudi  
Fundamenta locat soboles rediviva Quirini ,  
Et studio egregiis præludit præcoce factis.  
His tamen haud CAROLI virtus operosa quiescit,  
Romuleisque Numæ pacata laboribus addit  
Officia , & facinus mens perficit una duorum.  
Montibus in patriis genitus, nemorumque perennis

In-

Indigena, atque hominum cætu prope dissipatus omni;  
Accola Samusii nativam fronte getebat  
Barbariem, & vili, informique obiectus amictu<sup>rum</sup> A  
Corpore sordebat toto, lateque tegebant  
Impexi faciem crihes, obscenaque menti<sup>rum</sup> S  
Canities; animi sed enim, morumque pudenda<sup>rum</sup> A  
Rusticitas, & cunctarum ignorantia rerum, p<sup>ro</sup>q<sup>uo</sup>rum  
Squallorem longe chlamydum superabat, & oris.<sup>rum</sup> I  
Ingemuit, miserans hominum lacrymabile damnum,  
**CAROLUS**, & validâ parat obvius ire medelâ.<sup>rum</sup>  
Lenibus hinc monitis, hinc legis jure severâ<sup>rum</sup> I  
Suadet, & assiduus premit, alternâque tenaces<sup>rum</sup> H  
Persequitur pugnâ, tandemque exturbat abusus.<sup>rum</sup> I  
Utque perennet opus, convulsaque stirpitus atra  
Dispereat labes, studiis, animisque juventæ<sup>rum</sup> d<sup>uo</sup>ld

For-



Formandis doctæ reserantur ubique palæstræ,  
Queis polluta nimis, fermeque oblita Deorum  
Relligio in priscum assurgat renovata vigorem.  
Sed nec Litigii neglecta est cura forensis,  
Extorrisque diu populos Astræa revisit.  
Nam Procerum veneranda manus dilecta Minervæ,  
Consilioque potens, dicundo sedula Juri  
Affidet, & rectâ pendens oracula lance  
Debilium attollit vires, reprimitque potentum  
Idem non pigris munus Cereale lacertis  
Urget, & ignaro tradit præcepta colono,  
Et, quæ cura boum, quis sit gregis, indicat, usus;  
Quod sata læta modò spicis onerentur opimis,  
Ignotasque docet sulcis committere fruges.  
Non, mihi si linguae triplices, totidemque canenti

C

Ora

◎ ◎ ◎

Ora forent, tenui complecti carmine possim,  
Quot rudibus præbet documenta, aut commoda gignit  
Romulidis, aut quas in lucrum excogitet artes.  
Quid referam, omnigenas fora proponentia merces,  
Septimus immodico revehit quæ sacerdote Titan?  
Aut celeri segetem frangentes orbe molares,  
Samusidis pariter, pariterque opus utile Regi?  
Matris Eleusinæ, quid, magno condita sumptu  
Tecta canam? ingrati quibus inclemens Bacchi  
Pensatur, quemque ille negat præstare liquorem,  
Usta redundant seges ubertate rependit.  
Non ego constructas passim Primotibus ædes,  
Publica nec memorem peregrinæ accomoda genti  
Hospitia, aut medios resecantia compita campos,  
Ordine dispositis, quæ utrinque repagula vallis

O

C

Sti.

¶ ¶ ¶

Stipant, atque pecus teneris a frugibus arcent,  
Viderat abiegnis montana cacumina silvis  
Affluere, intactasque situ marcescere pinus  
**CAROLUS**, atque novos actutum assurgit in ausus  
Ignoram referare viam, explorataque nulli  
Textilibus tentare struit vada cæca carinis  
Samusii, & populi, Regisque extendere censum.  
Ardua martigenæ cædunt pineta secures,  
Structurusque domos miles, jam navita factus,  
Robusta compage trabes contexit, & alas  
Remorum apponit. Stupefactæ Najades audax  
Admirantur opus; stupet amnis & ipse, paratque  
Præscius externæ dare libera colla catenæ.  
Provehitur ripis patrio sale classis onusta,  
Atque profanatus frendet sub pondere gurges.

C 2

Ipse

ꝝ      ꝝ      ꝝ

Ipse regit cursum CAROLUS, lætoque paventes  
Affatu socios animat, nec spumeus illum  
Vortex, aut crebra occurrens catadupa moratur;  
Sed montosa retro linquens confinia Dacum,  
Littoraque ingrediens placidi piscofa Tibisci  
Pannonicis nova demonstrat commercia regnis,  
Et meritam a domito famam nanciscitur amne.

At pleno ut scateat præstans victoria fructu,  
Neu mage Romulidis aliqua sit parte timendum,  
Undique prævalidis vesanas comprimit undas  
Samusii aggeribus, vires adimitque nocendi.  
Nec satis; immenso nequicquam sæpe labore  
Orsum aliis molitur opus, tutumque recludit  
Radnensi firmis accessum pontibus ore.  
Heul quæ non hyemis superata obstacula diræ,

Quæ

Quæ non finitimæ plane obluctantia gentis  
Consilia, aut longæ tulerant fastidia curæ.  
Propositi tamen ille tenax haud cessat, & omnis  
Expers auxilii, solus molimina tanta  
Aggreditur, folique in opus commune vocati  
Samusidæ, folique satis. Millena videres  
Robora, procerasque ornos, pinosque virentes  
Undique reptilibus per devia compita plaustris  
Callem aptum nive dante vehi; centena vicissim  
Artificum insudant industria brachia; feryet  
Interea multos labor haud casurus in annos.  
Substernenda dolant pars ligna, ingentia quercus  
Robora pars acuunt, & ferrum cuspipe firmant.  
At alii horrendam, atque immanni pondere molem  
Sublimi intextam malo, centumque revinctam.

C 3

Re-



Restibus ; adnixi certant sustollere in altum.  
Verum , ubi supremum feralis machina culmen  
Attigit , extemplo funes laxantur ; at illa  
Pondere abacta suo , magno ruit impete , & ictu  
Subjectum horrisono terræ sub viscera robur  
Impellit , stabilisque locat fundamina pontis.  
CAROLUS indefessus adest , & singula curat.  
Non Illum gelidæve nives , frigusve perurens  
Terrent , sive novi remorantur gaudia amoris ;  
Sed SPONSÆ illecebris se se subducit amantis ,  
Cui vultum , atque animum insigni natura decoré  
Exornat ; Laudum minimum est sed forma suarum.  
Discite , Marticolæ ! virtutem ; & munere fungi.  
Hæc facies rerum , status hic , tum gloria præsens  
Romulidum , plebisqne , diu , incrementa , jacentis.

Di-

¶ ¶ ¶

Dignare aspectu, JOSEPH (b) generose! sereno,  
Præsidioque fove crescentes Martis alumnos.  
Et debet, & fas est: illi TIBI quippe fatentur  
Fortunam debere suam, manuumque TUARUM  
Se senopus agnoscunt; & honoris diceris author.  
Præterea ingentem conubia nuperā causam  
Adjiciunt, spectare TUOS in imagine vultus  
Dum datur, & Neptis ditati pignore gaudent  
At si fædifragus quandoque irrumpere fines  
Audeat Austriacos hostis, TE prima Magistro  
Promere bellacis discant monimenta vigoris.  
Forsitan hæc multos arbor despecta per annos ,  
Quæ manibus translatæ TUIS virtutis in horto  
Vivida jam surgit, CAROLI sudore rigata,

Di.

(b) Excellētissimus Baro a SISKOVICS Supremus rei Tormentariorum  
Prefectus.



Dignos parturiet fructus. Non ala volucrum,  
Non radii læti, nec inania somnia vatum;  
Non ovium fibræ tanta hæc præfigia pandunt;  
Sed sacrata meis jam tecta favere videntur  
Votis, & largo sua fundere munera cornu.  
Auguror: & certe minime post tempore longo  
Qua sol exoritur, qua mergitur æquore Phæbe,  
Samusidum referet terclarum buccina nomen.

*Canebat*

*COMES*

**SILVIUS TANNOLI.**



SIBL. CENTR. UNIV. CLUJ

Nr. 1701 969